



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Modi LX Sacrae Orationis variè Formandæ

Kojałowicz, Kazimierz Wijuk

Antverpiae, 1668

Modus XXXIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69292)

nitatis acquiritur. Simili modo, cæteræ beatitudines expendendæ essent & simili sententiâ concludendæ, in quarum examine ad magnitudinem gloriæ Sanctorum percipiendam, duo quoque illa, non immeritò consideranda, *Primo* quam variè sapientia summa, beatitudinem illam, exaggeret, appellando illam septies diverso vocabulo quod est, (humano modo loquendi) significare: rem talem esse, quæ satis explicari non possit, *Secundo* concludendo Beatitudinem ultimam, verbis initialibus, quoniam ipsorum est regnum Cælorum, & omnes una; beati, &c. Beati: Beati &c. quod eandem difficultatem exprimendi significat: & quandam abyssum felicitatis, de qua cum plurima dixeris, dicere tamen taliter non possis, quin reliqua profundissimo silentio involvas, illud iterando, quod toties dixisti, Beati: Beati. Ah verè! nimium verè! nullus labor magnus, & nullum Tempus diuturnum videri debet, quo talis gloria æternitatis acquiritur.



MODUS XXXIV.

PRæfixâ propositione, rationes illius, non simpliciter proferuntur: sed initio confirmationis, adfertur aliqua historia, Symbolum, figura, atq; adeo etiam Apologus, aut parabola gravis, propositioni præfixæ probandæ aut explicandæ apta. Tum verò subsumitur, rem de qua dicendum sit, ita se habere prout in historia, Symbolo, figurave est repræsentatum; atque indè, per ostensionem connexionis, similitudinis, proportionis aut alicu-

itu-
 on-
 nem
 illa,
 arie
 ret,
 uod
 rem
 ando
 ini-
 um,
 uod
 : &
 cima
 reli-
 ran-
 ! ni-
 em-
 eter-
 33
 sim-
 atio-
 , atq;
 o po-
 pra;
 i fit,
 irave
 nem
 licu-
 juo

jus veritatis sermo textitur E. g. dicturus supra illa
 verba Evangelii Matt. 23. Qui se exaltat humiliabi-
 tur, sic proponeres. Causam æquissimam, hujus ve-
 ritatis certissimæ, reddam. Pro confirmatione, ad-
 duceres Apologum, ex lib. 4. Reg. cap. 14. ubi pro-
 vocatus ab Amasia Rege Juda, Joas Rex Israel, sic
 illi respondet. *Carduus Libani, misit ad cedrum quæ
 est in Libano, dicens: da filiam tuam, filio meo uxorem:
 transferuntq; bestia, quæ sunt in libano, & conculca-
 verunt carduum.* Sensus Allegoriæ, explicatur se-
 quentibus. *Percutiens, invaluisti supra eodem, &
 sublevavit te cor tuum, contentus est gloriâ, & sede in
 domo tua.* Post hunc Apologum, sub sumere debe-
 res: quod, quæ causæ recententur ruinæ Regis A-
 masiæ: eadem sint causæ, cur, qui se exaltat humilie-
 tur. Propositio porro, dictarum causarum explica-
 ta, reliquum sermonis compleret. Potest autem
 hæc, spectari in his: Quia, sicut Amasias Joam pro-
 vocavit, ita superbus provocat Deum: Quia sicut
 Amasias provocavit inæqualem, & carduus liba-
 num; ita superbus, provocat inæqualissimum. Quia
 sicut Amasias, variâ est elatus victoriâ, ita superbus
 vanis effertur suggestionibus nec vult esse conten-
 tus suo, nec se cohibere domi suæ &c. &c. Ad ver-
 tendum etiam hîc est, posse nonnunquam Apolo-
 gos & parabolas ex proprio quoq; sensu condi, sed
 in hac re magno judicio est opus. Liberarior esse
 potes in iis, quæ sensum aliquem, Sacræ Scripturæ
 parabolicæ efferunt, & deinde per sententiam ci-
 tatam, aut mysteriorum fidei explicatum innotes-
 cunt: ut si de Christo, sub parabola Regis; de pec-
 catore, sub parabola rei; aut vincti differas:

aut, si simili modo, sententias aliquas proponas, E. G. illam Prov. 10. v. 26. *Sicut fumus oculis, sic piger &c.* posses tractare dicens. Magnatem quēpiam adiisse domum alterius, cæterum ornatam & cultam, sed fumosam &c. sed sit præcepti generalis

PRAXIS.

Feria II. Paschatis.

Nonne hac oportuit Christum pati, & sic intrare in gloriam suam Luc. 24.

Accessus & propositio. Heri Christus infernos expugnavit, hodie expugnat mundum. Id nunc spectare placeat.

Confirmationis ingressus, per historiam quæ facti similitudinem exprimat.

Narrat libri Judicum cap. 16. Principes Philistæorum, acturos Dagoni, supra capto Samsonē, gratias: congregatos fuisse in urbem Gazæ; atque inibi, post convivia celebrata lætantes, adduci imperasse Samsonem: ut coram se luderet. Domus, erat plena virorum ac mulierum, plaudentium ac tripudiantium: innitebaturque duabus columnis supra quas ut reclinaret, cum impetrasset Samson; apprehendens ambas, invocato Domino Deo suo: adeoque fortiter concussit, ut domus rueret: & tria millia utriusque sexus, spectatorum sui ludi, occideret.

Con-

Confirmationis reliquum, per applicatio-
nem rei assumptæ, ad historiam
citatam, & per ejusdem
probationem.

Quid ni mundi ac mundanorum domum huic
Philistæorū comparē dicamus? domus Philistæorū,
domus sacra Dagon; id est frumento; Domus mun-
di ac mundanorū, domus dicata escis. Domus Phi-
listæorū, Domus convivantium, domus mundi, do-
mus eorum, qui soli Deo ventri, continuò sacrifi-
cant. Domus Philistæorum, domus lætantium
& plaudentium, nihilque de imminente periculo
cogitantium: domus mundi ac mundanorum, do-
mus tenentium tympanum, in manibus suis & du-
centium in bonis dies suos, atque in puncto ad in-
ferna descendentium. Utraque porro hæc moles
duabus columnis nititur. Altera scilicet colu-
mna, cui domus mundi nititur, illa impiorum per-
suasio est, Sap. 2. *Cinis erit corpus nostrum, & spiri-
tus diffundetur, tanquam mollis aura.* Altera, illa
aliorum; *Venite, coronemus nos rosis &c. Fruamur
creaturâ, tanquam in juventute, celeriter.* Aut e-
nim homines mundani, quales Athei immortalæ
animam non credunt: sed Spiritum cum aura, post
mortem diffundendum; aut, immortalitatem qui-
dem non negant; sed se nunc frui posse mundo;
ac deinde regnare cum Christo confidunt. Detur-
bat hanc utramque columnam, his dictis Christus:
nonne oportuit &c. & mundum expugnat ac do-
mum ejus fallaciamque evertit. Ruit ergo, prima

columna, mundanorum & mundi, scilicet, incredulitas Resurrectionis & vitæ securæ. Nam apertè, post mortem, denunciat superesse gloriam suam & eam probat, resurrectione sua, ac ipso habitu peregrini, in quo hodie comparet. Eximiè id docet D. Gregorius verba hæc apud Barad. *Nonne oportuit Christum pati, & c. cum illis, Is. cap. 28. ut faciat opus suum, alienum opus ejus, ut operetur opus suum, peregrinum opus ejus, hoc est, ait Citatus Doctor. Existimatis Discipulo alienum opus esse à Messia, pati & crucifigi? Alienum quidem est, & peregrinum: Sed hoc opus alienum, suscipere & facere oportuit: ut faceret, opus suum: ut intraret in gloriam Regni sui: ut haberet regnum in hominibus, sanguine suo redemptis. Erigere qui hæc audis, & Apostoli monitum, ad Rom. 8. indubitatâ fide cordi fige. Qui suscitavit Jesum Christum à mortuis vivificabit, & mortalia corpora nostra. Sic ruet in te mundus, cuius columnam primam, exemplo Resurrectionis sue, & gloria beatæ memoriæ, subruit Christus.*

Ruit porrò. & secunda columna mundi, ac mundanorum: scilicet, vana & falsa persuasio; posse aliquem, gaudere mundanè in mundo: & regnare cum Christo: *Nonne oportuit & c.* Christum ergo pati oportuit, ut intraret in gloriam suam: & te non oportebit pati, ut merearis gloriam non suam? vide argumentum efficacissimum, non jam ab utili, non ab honesto, non à conveniente, sed à necessario: adeoque intellige, in dialectica cælesti, terminos hos, *pati & obtinere gloriam*, convertibiles esse. Mutuo se hæc inferunt: si cum Christo vis regnare

gnare

gnare, cum Christo oportet patiaris. Unde idem servator, *Ego inquit dispono vobis regnum, sicut disposuit mihi Pater* Luc. 22. Symmachus legit, *Ego promitto vobis Regnum, sicut promisit mihi Pater.* Quæris autem, quomodo Christo promiserit Pater! Quid quæris? quod habes. Oportuit pati, oportuit calicem bibere, quem universis in Joanne & Jacobo propinans requirit. *Potestisne calicem bibere, quem ego bibiturus sum?* Apoc. 22. *Beati qui lavant stolas suas in sanguine Agni, ut sit potestas illis, in ligno vitæ: & per portas, intrent in Civitatem.* Vis scire? Quid sit lavare stolam in sanguine Agni? Audi Aug, in Psalmo 67. inquentem, *Tingis carnem tuam. (hoc est stolam) in Christi sanguine, si vitia diluas, peccata detegas, mortem Christi, in carne tua circumferas.* Vis intelligere, quid sit intrare per portam, est ingredi, per viam, à Christo designatam: viam crucis, viam Regiam. Nam, ut ait Tertul. de pænit. *Furto quidem aggredi facile est, sed Deus thesauro suo providet: nec sinit obrepere indignos.* Igitur pessum, mala columna: mala præsumptio mundi: eant pariter utræque columnæ: Ruat mundus, Triumphet Christus: qui nos, & veram immortalitatem; & veram, ad immortalitatem viam, hodie edocuit.

MO-